

# PRAEFATIO.

**R**EM neque inutilem , neque ab officio & vitae Meae instituto alienam , Me facturum existimavi ; si praecipua adversus ple- rosque morbos auxilia , quae aut longa experientia dedici , aut legitima ratiocinatione excogitavi , in publicum ederem . Artis autem praecepta & viam medendi potius , quam morborum definitiones aut descriptiones tradere ; & medicamenta usu comprobata , non conjecturas ingenio fictas , proponere statuo . Et quoniam consilium non est de universa medicina commentarios scribe-re , usitatum in libris Medicorum ordinem non servabo ; horis enim subsecivis ex *Adversariis* Meis ea , quae usui fore opinabar , transcripsi ; in mentem simul , quantum potui , revo-cans quaecunque in singulis morbis profuisse , aut nocuisse memineram . Sic enim orta est me-dicina , subinde aliorum salute , aliorum interitu , perniciosa discernens a salutaribus (a) . Quapropter neque de ipsa scientiae medicae con-stitutione , ut ita dicam , verba facturus sum ; nec quantum illa vel *rationalis* , vel *empirica* sit , disceptaturus . Operae potius pretium erit , quae in utramque partem disputant Medici , qui aut  
ar-

(a) *Celsus in Praefat.*

\* 2

## P R A E F A T I O.

artem rationalem, aut usum tantum sibi vindicant, apud Celsum legere, qui sententiam suam super tota hac re dilucide & sapienter exposuit (*a*). Nullam autem ex his, quae opera saepe tumultuaria feci, gloriolam aucupor. Animadvertisit enim jam olim medicinae pater Hippocrates, *majorem conquestiōnēm, quam honorem, sortitam esse artem nostram* (*b*). Ita nimur fert hominum natura, in aliorum reprehensionibus nimia plerumque & prodiga, in laudationibus vero parca & avara. At haec forsitan de medicina querela levis videatur; gravior autem illa, quam alibi affert; *Videre Medicum terribilia, contrectare acerba, & ex alienis calamitatibus proprias sibi capere molestias.* Quid autem humanius, vel homine etiam Christiano dignius, proferri potest; quam aliorum malis commoveri, perinde ac si sua essent (*c*).

POSTULABAT quidem instituti hujus ratio, ut aliorum Medicorum errores interdum monstrarem; id autem ea semper aequitate feci, qua ipse Meos emendari velim. Conjecturis saepe ars nostra nititur; neque id sperandum, ut perpetuo quis collinet. Quocirca nec Me puduit, quae quandoque ipse live ignorantia, five

(*a*) In Praefat.

(*b*) "Ἐγωγει μόνον πλείστη μεμψιμοτέρην ἢ τιμὴν κεκλη-  
ρωθεῖσα τὴν τέχνην. In Epist. ad Democritum.

(*c*) Ο μὲν γὰρ ἀπρός ὄφει τὰ δικὰ, Σιγάνδ το ἀηδίου,  
οὐ εἰς ἀλλοτρίους ξύμφορούσι οἴδης καρπάται λόπας. Lib. De  
flatibus.

## P R A E F A T I O.

five negligentia, perperam fecerim , monere & agnoscere. *Convenit enim, ut ait Celsus, simplex veri erroris confessio, praecipueque in eo ministerio, quod utilitatis causa posteris traditur (a).* Illud autem facile percipiet lector , Me non sensu tantum , sed & ipsissima verba Celsi , ut res tulit , imitando exprimere voluisse ; quod utinam sane facere Mihi saepius licuisset. Quo enim auctore potius uterer , quam eo , qui ex Graecis tam Medicis quam Chirurgis praecipua, quae ad artem nostram pertinent , in linguam Latinam elegantissime transtulit ? Denique monendum est , medicamentorum compositiones , quibus utor , nisi aliter significatum fuerit , illas Me intelligere , quae in novissima *Pharmacopœia Londinenſi* exhibentur. Utcunque sit , gratum & acceptum habeant a Me cives nostri hoc qualecunque legatum , bono suo destinatum ; & valeant.

(a) *Lib. viii. cap. 4.*



C A-